



G. 27. numl 8. 2/11

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

DIVERSIS

TRADITIONVM

MODIS,

EORVMQVE

EFFECTIBVS,

QVAM

IN PERANTIQA ACADEMIA ELECTORALI ERFVRTENSI  
SENSV

ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ

PRESIDE

DN. JO. GEORG. BRÜCKMANN,

J. V. D.

ARCHI-EPISCOPALIS ECCLESIAST. ET ELECTORALIS PROVINC. HVJ. IVDICIO-  
KVM ASSESSORE, NEC NON PROFESSORE PVBLICO ET CIVITATIS  
CONSVLE,

PRO LICENTIA

GRADVM DOCTORALEM IN VIROQVE IURE

RITE ET LEGITIME CAPESSENDI,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R

FRIDERICVS ADOLPHVS BESSER,

LVCCAVIA - LVSATVS.

DIE IX. DECEMBRIS MDCCCL.

ERFORDIÆ,

TYPIS JO. CHRISTOPH. HERINGII, ACAD. TYPOGR.

KÖNIGLICH  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE



DISSENTIENS  
TRAITÉ  
MORALE  
EPILOGUE  
DE THÉOLOGIE ACCORDÉE À LA SCIENCE  
DE LA NATURE  
2  
DE LA NATURE  
DN. JO. GEORG. BRUCKMANN  
ALPHABETICALLY ARRANGED BY THE AUTHOR  
AND ADDED TO THE SECOND EDITION  
BY THE EDITOR  
PROF. LICENTIA  
GRADVM DOCTORALIS IN THEOLOGIA  
RECEIT IN THE FACULTY OF THE  
UNIVERSITY OF HALLE  
A. M. 1751  
FRIDERICVS ADOLPHVS PRÆSES  
DIXIT  
HALLÆ  
1751  
BY J. C. SCHMIDT  
ACAD. TYPOG.







*Q. D. E. V.*  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
DIVERSIS TRADITIONVM  
MODIS,  
EORVMQVE  
EFFECTIBVS.

CAPVT I.  
De modis traditionum diversis.

§. I.

**T**raditio secundum *Cujac.* est possessionis translatio, nihilque aliud denotat, quam factum, quo res è nostra in alterius possessionem transit: res incorporales non nisi improprie, corporales autem proprie tradi dicuntur, idque vel verè, per realem & corporalem actum, *l. 8. ff. de pecul. vel fidei,* Juris quip-

A 2

pe



pe intellectu. *l. 1. ff. eod.* Quod si sola declaratione fiat, per brevem manum, si demonstratione rei tradendæ, per longam manum, sin verò adhibito quodam signo, per symbolum traditio facta censetur; traditio brevis manûs se exferit 1) in casu, ubi massam auri vel aliam rem tibi vendendam dedi, ut pecuniâ inde redacta tantquam mutuo accepta utaris. *l. 1. ff. de Rebus creditis.* 2) in casu *l. 15. ff. eod.* veluti si tibi rem, quam tibi aliquis commodavit, postea tibi vendiderit, quamvis enim ex hac causa tibi eam non tradidit, perinde tamen est, ac si eo nomine tibi tradita fuisset. *§. 43. inst. de rer. divis. & acquirend. ipsarum domin.* Sic quoque, licet traditio in mutuo expressè requiratur, ejusque forma consistat in ipsâ mutui datione, *princ. J. quibus modis ve contrahatur obligatio, STRUV. Exercit. 16. thes. 7.* sine traditione scilicet verâ statim rem, quam mihi v. g. ex mandato deposito vel alia qualibet causâ debes, crediti nomine & accipere & retinere potes, fingitur enim ista res mihi prius restituta, & deinceps a me ad te iterum brevi manu profecta, *cit. l. 15. ff. de Rebus creditis.* 3) Contrahitur mutuum mediante traditione brevis manûs, quando petenti a me mutuam pecuniam, jussi debitorem meum dare, *princ. l. 15. ff. de Rebus creditis.* utut enim secundum juris communis regulas, ea demum pecunia mutua dicatur, quam tibi dedi, ut ex mea fieret tua, *l. 2. ff. de Rebus creditis.* attamen VLPPIANVS jure singulari id receptum esse scribit, & per hoc satis innuit, quodd Jura ob utilitatem hominum circuitûs vitandi causa, in casu præsentis fingant, primùm pecuniam a debitore ad me, deinde a me ad eum, qui mutuum



tuum petiit, pervenisse, quod brevi manu fieri dicitur in *l. 43. §. 1. ff. de jure dotium*. Hujusmodi fictio etiam est, si quis 4) pecuniam alterius nomine, cujus negotium gerit, dederit, *l. 9. §. pen. ff. de Reb. creditis*. v. g. MEVIUS pecuniam suam mutuo dedit CAJO non tantquam suam, sed ut pecuniam SEJI, ac SEJI quoque nomine illam pecuniam numerat CAJO, ea intentione, ut CAJVS SEJO eam pecuniam restituat, non aliter, ac si ab ipso pecuniam illam mutuo accepisset, quæritur igitur, an ex ea numeratione SEJO conditio certi dari queat, & in *l. 9. supra allegata* hoc ab VLPIANO affirmatur, perinde enim habendum est, ac si MEVIUS pecuniam suam SEJO primùm credidisset, & SEJVS deinceps CAJO; sic quoque certum est, obligationem SEJO acquiri, si pecuniam ejus nomine ejusque voluntate dederit, sæpe enim fit, ut pecuniam mutuam credituri, ab alio poscamus, ut is nostro nomine mutuum solvat numeretque futuro debitori nostro, *l. 126. §. 2. ff. de verb. obl.* quod de mutuo diximus, spectat quoque ad donationem, in qua ob eandem rationem, idem obtinere, nulli dubitamus. Si quis enim velit alicui donare, poterit debitori suo jubere, ut donatario solvat, *arg. l. 43. §. 1. ff. de jure dotium*, siquidem tali in casu idem est, ac si a debitore pecunia donanti, & ab hoc rursus donatario data sit. Nec minus etiam brevis manus traditionem conspiciamus in materia feudali, v. g. si res mea antea allodialis apud te fuerit, nunc autem, ut jure feudi rem possideas, inter nos conventum est, vide omnino textum *l. F. 2.* ubi creditor pignus sibi antea traditum, exposit nomine feudi accepit,



aliud exemplum prostat in constituto possessorio, quo verus possessor rem, quam alteri justo titulo concessit, ejus nomine & jure se in futurum possessurum promittit. vide HOPP. ad §. 43. *inst. de rer. divis.* quod fit vel expresse, l. 18. ff. de acquirend. vel amit. possess. vel implicite, dum e. g. venditor ante traditionem rei, eam conducit ab emtore, l. 77. ff. de R. V. vel ab eo usum fructum petit. l. 18. c. de donat. COLER. de process. execut. nam & sic possessio, quæ fuit penes venditorem, in ipsum emtorem transit, is enim possidet, cujus nomine possidetur, & venditor quæ Conductor nudam detentionem tantum retinet. cit. l. 18. in princ. ff. de a. vel a. possess.

## §. II.

Modus tradendi per longam manum est, si venditori jubeam rem emtam in domo mea deponere, utpote quod idem est, ac si mihi à venditore esset tradita, egoque illam in ædibus meis deposuisssem, utut eam nondum attigerim, l. 18. §. 2. ff. de acquir. possess. sic si quis acervum lignorum emat, & hunc eum venditor tollere jubeat, ille vero custodiam ponat, itidem ille acervus longa manu emtori censetur traditus: Idem juris esse in vino vendito, cum universæ amphoræ vini simul essent, docet JAVOLENVS in l. 51. ff. eod. aliud exemplum est, si possessor ostendat rem eminus dicendo, se eam tibi tradere, tuque acceptes, tum eo ipso possessionem acquiris cit. l. 18. §. 2. ff. de acquir. possess. in verbis: Si vicinum mihi fundum mercato venditor in mea turri de monstret, vacuamque se possessionem tradere dicat, non minus possidere capri, quam si pedem finibus intulisset. Huc quoque



que refertur, si quis venditorem procuratori rem presentem tradere, jufferit, *l. 1. §. 21. ff. de acquir. possess.* tunc enim habetur, ac si ipsi procuratori res esset tradita, & hinc recte Ictus hoc loco dicit, non est necesse, corpore & actu apprehendere possessionem, sed etiam oculis & affectu; Res presentem autem ea est, quæ in conspectu & oculis contrahentium est deprehendenda, & hoc sensu nos in re presentem cognoscere, & in rem presentem venire dicimur: Accidit hoc quoque in iis rebus, quæ propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut sunt v. g. columnæ, si enim hæ venduntur, pro traditione est, si in rem presentem contrahentes veniant & consentiant, aspectus hic vice traditionis fungitur, illiusque vicem supplet, ita, ut nihil intersit, oculi, an pedes in rem venditam inferantur.

§. III.

Traditio symbolica est, quando signum pro re signata traditur, huc pertinet casus *in cap. 2. X. de consuetud.* relatus, de more in regno Daciæ obtinente, ut, si quis fundos aliquos claustris vel aliis religiosis locis vel inter vivos vel ultima voluntate conferre velit, deferat unam glebam in ecclesiam, & vel altari imponat, vel tradat in manum alterius ecclesiæ Prælati, & hoc ipso fundi censeantur traditi. Nonnunquam etiam festuca in manum tradita, emtor in possessionem missus intelligitur, ita, ut quoad signum gentes diversæ diversis utantur rebus. Sic si merces in horreo repositas tibi venditurus, claves tibi tradam, censeantur merces tibi mediante clavium symbolo traditæ.

*l. 74.*



*l. 74. ff. de Contr. empt.* Jure Saxonico etiam eiusmodi traditio Symbolica observatur in donatione Geradae, quando nimirum rebus ad Geradam pertinentibus domi vel alibi asservatis, traduntur claves cistarum, capfarum, in quibus species donatae custodiuntur, *Const. Elect. 14.* in verbis: mit Ueberantwortung der Schlüssel. Huic tamen fidei traditioni Geradae id speciale accidit, ut praeter claves etiam designationem rerum donatarum requirat, hanc enim una cum illis tradi necesse est, *CARPZOV. lib. 5. Resp. 7.* Et hanc designationem ex observantia recepta, sufficit esse generalem, positis nempe v. g. catenis aureis, armillis, annulis, unionibus, lectis ac vestibus, quibus postea subjicitur clausula generalis, quicquid praeterea habet donatrix illarum rerum, quae Geradae appellatione solent venire, vid. *MOLLER ad Const. Elect. 14. num. 7.* frustra igitur hanc designationem restringit *BERLICHIVS part. 2. concl. 16. num. 37.* ad specificationem particularem, sufficit enim scientia vel voluntas rei alicujus saltem in genere, vid. *l. 2. C. de transactionibus*, & ita responderunt scabini Lipsienses apud *CARPZOVIVM d. l.* demum inter alia traditionis symbolicae exempla est instrumenti traditio, ea intentione facta, ut pro rei traditione cedat, illiusque vice fungatur. *l. 1. C. de donationibus.*

## CAPVT II.

## De effectibus traditionum.

## §. I.

**P**raecipuus traditionis effectus est acquisitio dominii, cumque alias in reliquis Juris gentium acquisi-



quisitionibus modus acquirendi idem sit, ac causa sive titulus v. g. occupatio feræ bestię est & modus acquirendi, & simul titulus, in hac tamen specie ea perpetuò distinguuntur, ita ut modus acquirendi sit traditio, titulus autem donatio, emtio, cæteræquæ causæ, ex quibus dominium rei à domino traditæ in accipientem transfertur, *l. 1. ff. de publ. in rem act.* idque sive ficta & symbolica, sive vera & naturalis traditio fuerit, obtinet, & proinde non pactis, sed traditionibus rerum dominia transferuntur, sic etiam siper pactum inter contrahentes agatur, ut transeat dominium, in exemplo: placuit inter nos, ut mea res tua foret, non ante tamen tua erit, quàm à me tibi tradita sit. *l. 20. c. de pact.* ad hunc autem traditionis effectum domini translativum quatuor potissimùm requisita leges desiderant, quorum primum est, ut res, quæ traditur, sit in commercio, & alienari non prohibita, *§. 40. inst. de rerum divis.* de quibus plenius videatur MANZIUS: res ergo tam mobiles quàm immobiles, corporales æquè ac incorporales huc rectè referimus: nam licet quidam res incorporales excipiant, eoquod tradi nequeant, vid. *§. 1. disput. nostr. cap. 1.* est tamen in iis patientia loco traditionis, ita dicitur servitutem tradidisse, qui patitur me ire, agere, uti, frui. *l. fin. ff. de servitut.* Alterum est, ut traditio fiat à domino, cui libera competit bonorum administratio, hinc prodigus juridicè talis, pupillus, furiosus &c. dominium rei traditæ in alium non transferunt. *l. 6. ff. de Verb. Oblig.* Illud nihil refert, an dominus ipse, an alius ejus nomine rem tradat. *§. 43. inst. de rer. divis.* nam res tradita à

B

pro-



procuratore ad id sufficiens mandatum habente, fit accipientis. *cit. Text. inst.* cæterum si traditio fiat à non domino, præter facultatem ufucapiendi nihil transfertur. *l. alienatio ff. de contrab. emt.* Tertium requisitum est, ut is, cui traditur, acceptet, *arg. l. 99. ff. de R. I.* simulque capax sit acquirendæ possessionis ac dominii, sic furiosus, summè ebrius, dormientes, & alii, qui illis comparantur, nihil acquirunt, *l. 1. §. 3. ff. de a. vel a. poss. ff.* quia deficit rei traditæ acceptio & apprehensio, carentque tales personæ affectione requisitâ ad consequenda possessionis & dominii iura. *cit. l. 1. §. 3.* Quartum requisitum est, ut subsit iusta traditionis causa, id est habilis titulus ad transferendum dominium, ideo PAVLVS in *l. 31. ff. de aeq. rer. dom.* ait, *nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio aut alia iusta causa præcesserit, propter quam traditio secuta sit.* Idque ad differentiam commodati, depositi, aliorumque titulorum ad translationem dominii inhabilium.

## §. II.

Dicta hucusque procedunt de traditione simplici & absoluta, per quam cum possessione statim transfertur dominium, non de conditionata, qualis est in emtione, nam Venditor non aliter censetur vendere & tradere, quàm sub illa conditione, si pretium solvatur, vel eo nomine satisfiat, itaque dominium ante solutionem pretii penes venditorem manet, *§. 42. inst. de rer. divif.* conitat enim ejus, quod sub conditione datur aut traditur, dominium in accipientem non statim transire. *l. 8. ff. de reb. credit.* Hinc venditor rem illam vindicat, id quod sæpius in concursu creditorum insignem affert



affert utilitatem, de qua vid. Dres ad ff. de privil. credit. cessat tamen ista rei vindicatio, inque emtorem statim dominium transfertur, si venditor vel expressè vel tacite fidem de pretio habuerit. cit. §. 42. inst. de rer. divis. Sed num venditor præsumitur fidem emptoris securus, ex eo, quod simpliciter rem tradiderit? affirmant id SCHNEID. ad dict. §. 42. inst. & SICHARD. in Cod. de act. emt. & vendit. n. 4. ex ratione, quod in dubio venditor videatur sequi fidem emtoris: rectius contra negant Jo. Fab. WESENB. & cum plurimis aliis BACH. hancque sententiam ex l. 19. ff. de contrab. emt. apertissimè demonstrant, simulque probant ex cit. §. 42. inst. ubi requiritur, ut fides habeatur, ergo non præsumitur, sed cum facti sit, ab emtore in dubio probanda est.

Prædicta in præcedente §. 1. pariter limitationem recipiunt in SAXONIA, ubi rerum immobilium dominia non transeunt, sine resignatione Judiciali, Land-Recht l. 2. a. 30. & 60. in fin. dec. Elect. Saxon. 61. Sed tamen sola isthæc resignatio Judicialis, accedente licet justo titulo, translationem dominii non operatur, nisi ea, quæ jure Civili præscripta sunt, simul concurrant, inter quæ præprimis est traditio, §. 40. inst. de rer. divis. sine qua nihil valet Judicialis investitura: quod clare ostendunt verba prælaudatæ decisionis 61. daß hinführo eine extrajudicial-Übergabe und Einräumung eines unbeweglichen Stücks Guths nicht vor genugsam gehalten ic. Ex quibus sinit, solam quidem traditionem ad dominii translationem, absque Judiciali resignatione, haud sufficere, sed tamen necessariam esse, nec sine illa dominium transferri, ut bene advertit dn. de BERGER, *disquis. de utilit.*



*utilit. usucap. in prob. dom. §. 4.* Jure quoque Baravorum receptum est, ut traditio rerum immobilium fiat eorum Judice illius loci, in quo sitæ sunt, exceptis tantum bonis feudalibus, quorum traditio facienda coram domino feudi & paribus curiæ, atque cum hoc jus in uno alterove loco ex consuetudine vix observaretur, illud deinde generali lege sancitum & confirmatum à Carolo V. ao. 1529. atque ab ordinibus simul additum fuit, ut hujusmodi traditiones actis insinuantur, & si ex causa emptionis aut permutationis fierent, quadragesima pars pretii fisco penderetur, vid. *art. 37. Ord. Pol.* qualia jura vel saltem similia ubivis fere locorum in germaniâ vigent.

§. III.

Quamvis regulariter oporteat in translatione domini tam personam tradentis, quam accipientis certam esse, ut affectus ab utraque parte paciscentium concurrat, *l. 55. de oblig. & act.* quandoque tamen contingit, ut dominium per traditionem transferatur in personam accipientis incertam, veluti cum missilia seu numismata argentea vel aurea olim à Consulibus in signum liberalis munificentiae in vulgus jactabantur, & hodierno tempore, dum principum coronatio, alique actus festivales peraguntur, ad perpetuam rei gestæ memoriam spargi solent, quale exemplum proponitur in *§. 46. inst. de rer. divis.* qui enim nummos ita spargit, in nullam certam personam fertur, vult tamen, ut, quod quisque ex sparso apprehenderit, id sibi habeat, nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium



alium transferre, ratam haberi. *S. 40. inst. cit. loc.* Dubitant nonnulli, quo jure projecta illa missilia accipientis fiant; alii assignant titulum occupationis, cum, quod ita sparsum est, pro derelicto habeatur, & ita tanquam res nullius jure occupationis cedat primo apprehendenti: sed magis placet, traditionis jure dominium in accipientem transferri, cum spargentis animus sit, ut pecunia statim apprehendatur, & quantum apprehensum est, fiat apprehendentis, qui animus non est in eo, qui rem pro derelicto habet: quia autem de persona accipientis non constat, hæc traditio à quibusdam incompleta, resque per consequentiam forte, non principaliter pro derelicta dicitur, vid. *SCHAMBE. ad cit. §. 46. inst. de rev. divis.*

Major dubitatio ac difficultas est, si tradens & accipiens dissentiant in causâ, an tunc dominium translatum sit? ad celebrem hanc quæstionem respondemus sub distinctione: vel enim diversa contrahentium mens fuit in titulo transferendi dominii, vel in ipsa translatione dominii; *Posteriore casu*, v. g. si ego depenam apud te pecuniam, tu quasi mutuam accipias, aut è converso, si ego tibi dem pecuniam mutuam, tu quasi depositam accipias, dominium non transfertur, *l. 18. §. 1. ff. de reb. credit.* deficit enim hic affectus ex utraque parte contrahentium, quem ad translationem dominii requirimus, *l. 57. ff. de oblig. S. ad.* proinde datur repetitio pecuniæ, nec exceptio doli mali opponi potest; Cæterum effectus hujus quæstionis se potissimum quoad præstationem periculi & casus fortuiti exserit. *Priori casu*, si utrinque causa habilis sublit ad transfe-

rendum



rendum dominium, veluti si tibi tradam pecuniam donandi animo, tu autem eam accipias quasi creditam, dominium in accipientem transit, quia ex utraque causa id agitur, ut dominium transferatur: id quod JCTUS JULIANVS generaliter statuit in *l. 36. ff. de acquir. rer. don.* VLPIANVS autem illud negare videtur in *l. 18. pr. ff. de reb. credit.* in verbis: *magisque nummos accipientis non fieri.* Unde prodierunt diversae Doctorum opiniones; CONTIVS *l. disp. 9.* cum BACHOVIO in *Treutl. disput. de mutuo, thes. 4.* negat hoc dissidium posse componi. ALCIATVS *5. parerg. 15. pac. 3. quest. 67.* GILB. *Reg. 2.* existimant, esse diversas horum locorum species. At salva res est, si genuine utriusque JCTi sensum absque cavillatione interpretemur. Inprimis, quod in proposito casu ex sententia Ulpiani non adfit donatio, ipse JULIANVS admittit, deinde in eo, quod non subfit mutuum, JULIANVS quodque VLPIANO contrarius non est, quia pecunia mutuo data non est: verba demum VLPIANI, *magisque nummos accipientis non fieri,* possunt sic accipi, ut non fiant irrevocabiliter ex comparatione scilicet acquisitionis rei donatae, quia nemo rem ulterius acquirit, quam acquirere voluit, HOPP. *ad §. 40. inst. de rer. divis. pag. 284.* atque hanc interpretationem suadet etiam ratio ab VLPIANO in *cit. l. 18.* subiecta, *cum alia opinione acceperit,* quippe qui donatum tanquam mutuum sibi acceperit, non eo animo est, ut dominus non fiat, sed ut non fiat simpliciter, & sine obligatione tantundem restituendi. vid. STRYK. *tr. de F. S. D. 10. c. 4. n. 28.* Si tamen hoc casu dans pecuniam velit repetere, exceptione doli removetur, siquidem in dolo est, qui, quod donavit, repetit. Ob-



Obstat, quod accipiens pecuniam ut donatam non acceptaverit. Respi. acceptatio ad donationem requiritur, ut actionem inde consequamur, non vero ut rem donatam & traditam retinere non liceat, facilius enim datur exceptio, quam actio. *l. 47. ff. de O. S. A.* & ad objectionem, quod nummi accipientis non fiant in *cit. l. 18.* dico præter datam supra explicationem: non fiant accipientis præcise ratione tituli, *manseat*, ratione voluntatis in uno transferre dominium volentis, & voluntatis in altero acceptantis, *Neg.* illud certum est, quod error circa corpus domini translationem impediatur. *l. 9. ff. de contrab. emt.*

§. IV. *ambrosio q. 1. m. 1. c. 1. de donat.*  
Evidens pariter & manifestum est, donato & tradito instrumento rem ipsam, de qua instrumentum confectum est, traditam censeri per *l. 1. C. de donat.* in qua tradito ratione mancipiorum instrumento, ipsa mancipia tradita dicuntur, & sic traditioni instrumenti inest ficta civilis & intellectualis traditio ejus quoque rei, de qua instrumentum loquitur, idque propter coherentiam, quam habet instrumentum cum illa re, super qua confectum est: Hinc talis donatarius vindicat ita mancipia ob dominium, quod ex traditione ficta consecutus est. Sed an etiam traditio instrumentorum requirat præsentiam servorum, ita ut si fuerint absentes, traditio facta non videatur, quæstionis est. Ansam disceptandi præbet *l. 47. ff. de contrab. emt.* ubi, si trado alicui claves ad horreum, merces ibi reconditæ videntur traditæ, modo horreum sit præsens, ut si dicam, trado tibi claves istius horrei, ostendendo præsens



fens horreum, quod est in oculis, cumque horreum præfens non foret, clavibus licet traditis merces non intelligerentur traditæ: ergo etiam traditio instrumentorum videtur requirere præsentiam rei traditæ. Verum respondeo, per traditionem instrumenti semper censei rem traditam & ita hic, ut in traditione clavium, præsentiam rei tradendæ haud requiri, ratio hoc statuendi est, quod *l. 1. c. de danar.* nullam de hac præsentia faciat mentionem, sed generaliter & indefinite loquatur, ut ita quoque generaliter & indefinite sit accipienda; accedit, quod aliàs traditio instrumenti seu scripturæ nihil operaretur, cum solus aspectus ad acquirendam possessionem sufficiat, *l. 8. §. 2. ff. de acquir. vel amit. possess.* vidu *gl. ad cit. l. 1.* Id quod in aliis quoque negotiis obtinet, itaque si vendam alicui instrumentum censuale, videor hoc ipso vendidisse censum; in instrumento comprehensum. *l. qui Chirographum, ff. de leg. 3.* Sic creditor, qui debitori tradit, redditque chirographum, debitum remisisse videtur, *l. 2. §. 1. ff. de pact.* addit LAVTERBACH, in *cit. tit. in prin.* etiamsi plures tabulæ ejusdem debiti fuerint scriptæ, nec omnes redditæ, quod nempe nihilominus, ne debitum petatur, conventum esse videatur: Quod posterius rejicimus, si enim debitum remittere voluisset creditor, ad quid unum Chirographi exemplar sibi retinisset, quod certè ideo factum, ut ex eo debitum aliquando probare possit. Nec movet adducta LAVTERBACHII ratio, quod aliàs nihil actum sit: nam hoc egisse præsumitur ejusmodi creditor, ne aliquando vel ipse, vel alius ejus nomine idem bis petant.



tant. KLEIN ad *Schaff. tit. de pact. n. 5.* quod multò magis dicendum, si plures quædam tubulæ ejusdem debiti conscriptæ, sed singulæ non æquè perfectæ, forte quod in una exceptionibus renunciatum sit, in altera non item: tum enim chirographo imperfectiore reddito remissio debiti præsumi nec potest nec debet. Porro pignore reddito non quidem ipsum debitum, bene tamen Jus pignoris atque ipsa actio hypothecaria remissa censetur. PEREZ in *cod. de pact. n. 2.* nisi ad certum usum pignus debitori restitutum sit, v. g. propter festivitatem nuptiarum, nam sic nec Jus pignoris remissum dici poterit, sed pignus solummodo ad hunc actum, ad quem debitor illud rogavit, concessum esse videtur. SCHOPFF. *de pact. n. 8.* differentia, quòd reddito chirographo ipsum debitum sit remissum, non autem reddito pignore, sequens est, quod chirographi redditi nulla utilitas esse possit, nisi remissionis debiti, & totus ille actus aliàs otiosus foret, pignoris verò usus sit varius & multiplex, modo ad utendum, modo ad vendendum, imo pignus continet tantum causam accessoriam, quâ sublata nihilominus remanet id, quod est principiale. ZOES. *ad ff. de pact. n. 7.* KÖNIG ad *Jus Can. cod. n. 7. § 8.*

§. V.

Similiter, qui dat pignori instrumentum, videtur etiam pignori dedisse universam rem, de qua instrumentum loquitur; sic etiam uxor, si habeat res paraphernales, & super his instrumenta, illaque tradat marito, videtur eum constituisse procuratorem, ut is ea nomina exigere possit. Clericus quoque vel quicumque à

C

prin-



principe conductus, reddens Episcopo aut patrono, vel  
 principi literas suæ præbendæ vel conductionis, re-  
 nunciare videtur tali præbendæ & conductioni. *Cap. sa-  
 ne extra de renuntiat.* Atque hæc doctrina non modo  
 usum præstat in pactis & contractibus inter vivos, sed  
 & ultimis morientium elogiis: Nam qui legat mihi  
 in testamento aliquod instrumentum, chirographum,  
 vel cautionem, rem ipsam mihi legasse videtur, super  
 quâ instrumentum vel cautio est confecta, dict. *l. qui  
 Chirographum, ff. de leg. 3.* appellatione namque Chiro-  
 graphi vel instrumenti venit ipsa res, ut actio, Jus,  
 vel nomen aut debitum, de quo instrumentum confe-  
 ctum est, unde cognitum est legatum liberationis, de  
 quo in *§. 13.* & legatum nominis, de quo in *§. 21. inst.  
 de legat.* fufius agitur. Hujus generis traditio fieri in-  
 telligitur, quando quis sibi usumfructum rei donatæ  
 reservat, tunc enim eandem quasi tradidisse censetur,  
 cum ususfructus tanquam servitus rem alienam sup-  
 ponat: Sic & traditio fida per constitutum possesso-  
 rium dominium transfert, quando donator omnium  
 bonorum administrationem sibi reservat, nam & hæc  
 non nisi in rebus alienis locum habet. vid. *l. 35. §. 5. C.  
 l. 28. c. de donat.* Sed num, ut totum acquiramus,  
 traditione & apprehensione quarumcunque totius par-  
 tium opus erit, v. g. an in traditione & apprehensione  
 domûs vel agri necesse erit, omnes domi angulos, to-  
 tumque agri tractum circumambulare? Respondemus  
 negativè, sed sufficit ingredi domum quo ad partem,  
 animo possidendi totam; *l. 3. §. 1. ff. de acquirenda vel  
 amit. poss. similiter si ducatus sit tradendus, non opus  
 est*



est occupatione quarumcunque sub illo ducatu contentarum partium, sed per traditionem unius castelli possessio totius est acquisita, nisi pagi vel Castella distinctos planè fines habeant, tunc enim omnium apprehensione opus est, *arg. l. 1. §. 16. cit. tit.* cum enim ex unius servi hæreditarii apprehensione ad aliorum acquisitionem non valeat illatio, ex unius quoque pagi occupatione aliorum possessionem inferre non licebit: quemadmodum enim hæreditas est quædam universitas sub se continens omnes res hæreditarias, ita etiam ducatus universitas est, diversa oppida ac pagos sub se comprehendens: igitur, quod in primo obtinet casu, obtinebit quoque in altero. *arg. cit. l. 1.*

## §. VI.

Cum & veterum & recentiorum sententia sit, ad translationem juris realis traditione opus esse, *l. 20. C. de pact.* quaesitum porro est, an ad transferendum dominium vacua requiratur possessionis traditio, vel an res ab alio possessa ita alicui tradi possit, ut dominium in eum transeat, v. g. fundum tibi vendidi, qui ab alio bona fide possidetur, & dum possessor forte abest, eum tibi tradidi animo dominium transferendi, tuque ea mente accipis, ut dominus fias: quæritur an tibi dominium acquisiveris? Affirmat *NON. 4. comment. 19.* re-ctius negat *BACHOV. in Treutl. disp. 20. thes. 4.* per *l. 8. C. de act. emt. vendit. l. 17. c. de distract. pign.* ubi disertè dicitur, quòd dominium & actionem in rem non consequamur, nisi in vacuum possessionem inducti fuerimus: accedit, quòd tradere, si de dominio agatur, nihil aliud sit, quàm potestatem facere rei habeendæ: hinc re tradita possessio amittitur, *l. 50. ff. de rei vind.* retenta autem possessione, nihil traditum intelligitur. *l. 16. ff. de pecul.* Et sicut usucapio sine loci vacantis possessione non procedit, *§. 2. inst. de usucap.* ita etiam dominium sine translatione vacuæ possessionis non transfer-

tur



tur. arg. l. 11. §. 1. ff. de act. emt. quin etiam ipsa traditio non propter se, sed propter possessionem videtur requiri, siquidem, ubi sine traditione possessio haberi potest, traditione haud opus est. l. 9. in fin. C. de acquir. possess. Huc quoque facit, quod in nos transferri non possit possessio iusta ejus rei, quam alius possidet, quamdiu nempe possidet, vel animo retinet possessionem. l. 7. §. 5. §. l. 6. §. ult. ff. de acquir. possess. Objiciunt, quod possessio cum dominio nihil habeat commune. l. 12. ff. §. 1. de acq. possess. Resp. etiam apprehensio cum dominio nihil habet commune, & tamen ad ejus acquisitionem est necessaria, præterea illa lex aliud non vult, quam quod alia remedia sint possessoria, alia petitoria. Neque ad rem facit, quod dominium subsistere & retineri possit sine possessione: non tam facile enim aliquid acquiritur, quam quæsitum semel retinetur, sic possessio non acquiritur, nisi animo & corpore, solo tamen animo retinetur. l. 6. in fin. ff. de acq. possess. Item fera animalia non aliter nostra fiunt, quam si ea ceperimus, semel autem capta nostra permanent, quamvis effugerint, quamdiu scilicet facilis est eorum persecutio. Atque hæc obtinent, si à privato in privatum transferendum est dominium, nam quotiescunque beneficio legis aut officio Judicis dominium transfertur, toties possessione & traditione opus non est. Exempla occurrunt in l. 80. de legat. 2. §. fin. inst. de off. Jud. l. 2. ff. pro soc. veluti in legato, fideicommissio, hereditatis aditione, agnitione bonorum possessionis, societate omnium bonorum &c. vid. HOPP. ad tit. §. fin. inst. postremò monendum est, traditionem, cum facti sit, ab eo, qui in illà fundamentum intentionis suæ ponit, probandam esse. PRUCKMANN. Conf. 1.

n. 239.

S. D. G.

\* \* \*



\* \* \* \* \*

Quum tua TE virtus ornat, quum copia rerum  
Ingenii produs munera rara TVI.  
Candor, dexteritasque animi est TIBI nescia fraudis,  
Estque TVO fixus pectore rarus amor.  
En! statuunt Musæ plaudentes præmia larga.  
TE dignum Themidis digna brabea manent.  
Justitiæ summus stator conatibus adsit,  
Usibus ut patriæ commoda magna feras.

*Prænobilissimo ac Doctissimo Domino Neo-Licentiate  
honores, quibus decoratus, gratulatur ampliffi-  
mos, & eum, quem amicissimum expertus est,  
sibi que optat sempiternum, semper valere jubet*

E. A. BÜCHNER, Erfurt.  
Med. Stud.

---

Lipsia, dum legum dimittis jure valentem  
Luccaviæ ductum, prout ambis, honore per am-  
plo  
Ascendat Cathedram merito Tibi fautor amandus,  
Ac studio assiduo laurum quoque præmia digna,  
Erfurti capiat; sicut & mea vota secundas  
Dicendi; jam doctor eris, doctorque recedes  
Ad patrios patrone lares dignissimè: Vade  
Vive, vale, Tibi fausta polus det sæcula: Vive.

*Hic gratulabundus adstat ad tempus quod-  
cunque devotissimus*

J. A. VMLAVFF, Eichsfeldiaco-Stradworbiensis  
Medicinæ Stud.

D

36



**I**ch schreibe nichts. Du bist genugsam überzueget.  
Ich schreibe nichts. Du weißt ohndiß mehr als zu gut,  
Daß meine Freundschaft mehr von Tag zu Tage steigt.  
Ist's nicht genug? Wohl dem, der auch ein gleiches thut.  
Verschmähe nicht mein alzuschlechtes Lallen;  
Nimm ein aufrichtig Wort igt für den Willen an:  
Laß Dir den treuen Sinn des Bruders nicht missfallen,  
So ist mein Wunsch erfüllt, den ich vor Dich gethan.  
In Leipzig hast Du Dich zum Fleisse recht verbunden;  
Du hast darinnen Dich stets unermüd't gezeigt;  
Durch Tugend hast Du nun auf Ehre Ehre funden,  
Das macht, daß igt Dein Ruhm gleich hohen Cedern steigt.  
Dieß aber ist nur als ein Vorspiel anzusehen;  
Denn Dein so emsiger Fleiß verdienet mehrern Lohn.  
Wohl, welchen Tugend läßt mit solcher Hoffnung gehen.  
Der Anfang ist gemacht: Nun folgt die Ehren-Cron.  
Ich seh' Dir freudig nach, ich wünsche, was Du denckest,  
Dein Purpur wechsele nie mit schwarzen Boy und Flor:  
Es geh' Dir alzeit wohl. Wo Du Dich auch hinlenckest,  
So gehe keiner Dir an hohem Glücke vor.

Dieß wünschet ons Ergebenheit  
ein treuer Bruder

**August Sigismund Besser,**  
Stud. Jur.





Erfurt, Diss., 1748-51

X 238 7035

ULB Halle

3


006 771 165



VD 78











23 G. 27. num. 8. 2. 10. 19

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE  
DIVERSIS  
TRADITIONVM  
MODIS,  
EORVMQVE  
EFFECTIBVS,

P. 39

IN PERANTIQA ACADEMIA ELECTORALI ERFVRTENSI  
CONSENSV

ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ  
P R Æ S I D E

DN. JO. GEORG. BRÜCKMANN,  
J. V. D.

ARCHI-EPISCOPALIS ECCLESIAST. ET ELECTORALIS PROVINC. HVJ. IVDICIO-  
RVM ASSESSORE, NEC NON PROFESSORE PVBLICO ET CIVITATIS  
CONSULE,

PRO LICENTIA  
GRADVM DOCTORALEM IN VTROQVE IURE  
RITE ET LEGITIME CAPESSENDI,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
A V C T O R

FRIDERICVS ADOLPHVS BESSER,  
LVCCAVIA - LVSATVS.

DIE IX. DECEMBRIS MDCCCL.

ERFORDIÆ,  
TYPIS JO. CHRISTOPH. HERINGII, ACAD. TYPOGR.

